Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36519
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

63

sollicitum. et fiunt instrumenta penarum, que fuerant oblectamenta culparum. labor in acquirendo. timor in possidendo. dolor in amittendo. Mentem enim semper fatigat. sollicitat et affligit. Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Sed de his plenius inferius dicendum.

De miseria dominorum et servorum

Servus minis terretur. angariis fatigatur. plagis affligitur. opibus spoliatur. quia si non habet, habere compellitur; si habet, non habere cogitur. Culpa domini, servi pena. culpa servi, domini preda. venatio leonis onager in heremo. sic pascua divitum pauperes. O extrema conditio servitutis. natura liberos genuit. sed fortuna servos constituit. Servus cogitur pati et nemo sinitur compati. dolere compellitur et nemo condolere permittitur. Sic non est suus. ut sed nemo sit miseri quia castra secuntur. quia miserum est aliena vivere quadra. Dominus enim si crudelis est oportet illum vereri propter nequitiam subiectorum. Si mitis est contingit illum contempni propter insolentiam subditorum. Severum quoque metus affligit. et mansuetum ultras parvipendit. Illa crudelitas odium et familiaritas parit contemptum. Familiaris enim cura fatigat et domestica sollicitudo molestat. Oportet enim semper esse paratum. ubique munitum. ut possit malignantium insidias precavere. obpugnantium insidias propulsare. hostes conterere et cives tueri. Non sufficit diei malicia sua. set dies diei laborem eructat. et nox nocti sollicitudinem indicat. Dies quoque laboriosi ducuntur et noctes expendunt insomnes.

De miseria continentis et coniugati

Si ignis potest non urere. potest caro non concupiscere. quia quantumcumque pugnetur. numquam tamen extorqueri potest. rebus illis ille expelli. Naturam expellas furca tamen usque recurret. Non omnes inquit capiunt verbum istud. sed qui potest capere capiat. Unde cum dominus de ceteris pontificalibus indumentis iussisset Moysi ut Aaron et filios eius vestiret. de solis feminalibus dixit cum ingrederentur tabernaculum testimonii. Sed apostolus inquit: Nolite fraudare ad invicem nisi forte ex consensu ad tempus. ut vacetis orationi. et iterum revertimini ad idipsum. ne temptet vos sathanas propter incontinentiam vestram. Melius est enim nubere quam uri. Pugnat quoque contra continentiam angelus sathane qui carnalem stimulat et quatit colaphis hostis. Ignem nature flatu suggestionis accendit. materiam apponit. facultatem tribuit. Unde David post meridiem cum deambularet in solario domus regie. vidit ex adverso Bethsabee se lavantem. Erat autem pulchra valde. Misit et tulit eam et dormivit cum ea. Porro qui cum uxore est sollicitus est que sunt mundi. et divisus est. Distrahitur enim per multas angustias. et varias sollicitudines dissecatur. ut filiis et uxori. famulis et ancillis necessaria querat et subministret. Tribulationem carnis huiusmodi habent. Uxor enim contendit habere preciosum ornatum.